tenui sermone, subiunctis aliquibus dictis et sententiis Sanctorum et Doctorum, in unum opusculum continuum composui et collegi; Si non cum magna legentium utilitate, tamen cum multo meo labore, utinam ipsi Virgini gloriosæ et Filio suo placito et accepto.

Erit igitur, o Virgo gloriosa, solius misericordiæ tuæ; ut suscipere digneris clementer præsentis operis et laboris munusculum qualecunque, quamvis insufficiens et indignum dignitati tuæ, cuius virtutes et merita atque laudes non sufficiunt explicare Digni„ „tates Angelicæ. Solummodo enim ad hoc potest tibi humana devotio intendere, ut miseris misericordiam tuam aperias et impendas: quò, te miserante et suffragante consequamur gratiam filii tui in præsentis miseriæ periculis, et gaudia æternæ beatitu„ „dinis in coelis. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster Iesus Christus, ~~qui~~ tibi cum Deo patre communis filius Qui cum eodem et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula unus Deus. amen.

Explicit Engelbertus Abbas Admontensis de vita et virtutibus B. Virginis Mariæ per manus Monachi* Throni B. Virginis et Sacer„ „dotis ordinis Cartusiensis.

*. Monachus ille exprimitur in margine per hæc verba: D. Petri, postea Prioris. Prioratum Petrus ille administravit ab anno 1395 usque ad annum 1405. et plura eleganti scripsit charactere in membranis, ut Collationes Patrum, Isidorum de summo Bono, Conradum super Quinque alleluia, et Engelbertum. Non dubium, quin omnia ante Prioratus susceptionem descripserit: unum ipse fatetur se anno 1380 finiuisse Isidorum.

~~B. communis filius videtur addendum esse: est tibi.~~